



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1680

Eminentissimo Domino Hieronymo Casanattæ S. R. E. Cardinali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14718



EMINENTISSIMO

DOMINO

HIERONYMO CASANATTÆ

S. R. E. CARDINALI.



ILLVSTRIVM
*virorum dicta facta-
que posteris tradere
& semper rei publi-
ca bono visum est ex-
pedire,* EMINENTISSIME
ã ij

EPISTOLA.

DOMINE, & probis eruditisque omnibus pergratum perque iucundum semper fuit, quòd ita imaginem quandam antiquitatis intueri sibi viderentur, exempla verò ad imitandum hinc acciperent. Quod cum ego verum esse intelligerem, & inter schedas meas reperissem vitas aliquot insignium virorum quæ hæcenus latuerant, constitui illas emittere in publicum tibi que eam editionem dedicare, qui & natalibus & dignitate illustris, illustrior tamen es pietate in Deum, humanitate, doctrina, eruditione, ac ceteris virtutibus quæ cum istis consociantur. Ac laudes quidem tuas jam multi celebrarunt, EMINENTISSIME CARDINALIS, & deinceps alii celebrabunt; eruntque illæ semper gratæ, quia veræ. At ego in id tantum incumbam ut

EPISTOLA.

Et huic nostrae aetati Et venturae testimonium faciam quantus sit affectus tuus in literas, quantus amor eorum qui illas profitentur; quorum conatus ita iuvas pro ea qua plurimum vales auctoritate ut nullus aut rarus sit qui non tibi multum debere se sciat Et profiteatur. Nam quod ad me attinet, quum nondum tibi notus essem ullo officio meo, tantum quia nomen aliquod habere videbar in rep. literaria, palam te fautorem ac defensorem studiorum meorum ostendisti; Et cum tibi pro hoc insigni beneficio gratias egissem, eodemque tempore non nihil à te petissem pro illustranda nova, quam meditor, Conciliorum editione, humanissimas ad me literas dedisti, in quibus tuam mihi benevolentiam totam integram pollicebaris, simulque misisti id quod à te postulave-

EPISTOLA.

*ram. Deinde cum ex continuatio-
 ne mearum literarum factum fuisset
 ut plures quoque à te acciperem,
 non dicam illas, quod est verissi-
 mum, fuisse semper humanissimas,
 sed nullam ex his fuisse quæ non no-
 vam promissionem contineret tuæ
 amicitia tuique auxilii ad promo-
 venda studia mea; nonnullæ etiam
 ita fuerunt doctæ & eruditæ ut hinc
 præclara accessio facta fuerit iisdem
 studiis meis. Immo cum nescio quo
 fato intermissum fuisset literarum
 inter nos commercium, sic de eo re-
 novato gaudere te professus es (lu-
 bet enim heic gloriari) ut scriberes
 amare te literas meas earumque
 frequentia summopere delectari,
 iusseris porrò verbis amantissimis ne
 deinceps ullis casibus interrumpi pa-
 terer illud literarum commercium,
 sed subcisi varum horarum otio, ut*

EPISTOLA

tua verba repetam, te quoque participem facerem studiorum meorum. Quod quàm mihi honorificum sit, quàm praeclarum, quanta memoria vi retinendum ac conservandum, facilius intelligi quàm explanari datur; praesertim si quis accuratè consideret à quo ista scripta sint, ab amplissimo nimirum Cardinale, à viro nobilissimo, eodemque doctissimo. Quae cum ita sint, EMINENTISSIME DOMINE, tuque praeterea me monueris ut editionem Miscellaneorum meorum continuarem, tuamque mihi operam etiam ad hanc studiorum meorum partem sis peramanter pollicitus, miseris insuper praestantissimi sanctissimique viri Dominici Capranica Cardinalis vitam à Baptista Poggio scriptam, officii mei esse putavi ut hoc qualecunque publicum me in

EPISTOLA

*te reverentia tuorumque in me be-
nificiorum monumentum extaret ;
quod are perennius fore opto , ut pia
posteritas sciat & me tibi plurimum
debere & dum spiritus hos regere-
ret artus , tibi prorsus devinctum
fuisse.*

Lutetiæ Parisiorum
Kalend. Martiis
MDC LXXX.

STEPH. BALVZIVS.